DE
INFLAMMATIONIS
THEORIA

EJUSQUE PER RESOLUTIONEM CURATIONE.

POSITIONES MEDICO-CHIRURGICÆ.

QUARUM veritatem in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, Deo-duce & auſpice Dei-parâ tueri conabitur,

AUTOR

JOANNES-LUDOVICUS SANIAL DUFAY, Cheylarienſis apud Vivarienſes, Liberalium Artium Magiſter & jamdudùm Medicinæ alumnus. Die menſis Februarii anni 1766.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.



MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXVI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE





BAUMÉS FECIT . MONSPELII .



CELSISSIMO, POTENTISSIMOQUE VIRO

D. D.

LUDOVICO-HERCULI DE PORTALES

EQUITI ET MARCHIONI

DE LA CHESE,

D. DE LA CHAIZE, BURIANNE, TALLARON,

LE PONS, SERPAISE, HILLAINS, &c. &c. &c.

STI. *LUDOVICI REGII ORDINIS ET MILITARIS EQUITI.*

EXERCITUUM REGIORUM LEGATO GENERALI.

VIR CELSISSIME,

Beneficiis quibus me meoſque tibi in æternum devinxiſti cumulum addis, dùm hæc prima ſtudiorum meorum tentamina tuis

auſpiciis in lucem prodire benevolus annuiſti. Oh utinam par eſſet facundia animi grati ſenſibus ! te laudarem avitis virtutibus clarum , tuis clariorem , Bello fortem & expertum ducem , pace civem optimum , beneficum , omnibus cariſſimum ; verum tanti viri laudibus extollendis ſentio quantùm impar ſim. Sileo itaquè mirabundus , teque rogans enixè ut cui hactenùs favere voluiſti , in poſterùm favere numquàm deſinas ,

VIR CELSISSIME ,

TUÆ CELSITUDINIS

Obſequentiſſimo & humillimo
Clienti & Servo ,

JOANNI-LUDOVICO SANIAL DUFAY.

Dabam Monſpelii die mensis Februarii anni 1766.



DE INFLAMMATIONIS
THEORIA
EJUSQUE PER RESOLUTIONEM CURATIONE.

POSITIONES MEDICO-CHIRURGICÆ.

1°. TUMOR eſt partis cujuſcumque elatio pratèr naturæ conſuetum morem â fluidis accumulatis, aut prætèr modum expanſis præcipuè pendens.

2°. Tumores dividi ſolent in calidos & frigidos. Calidi dicuntur qui calent prætèr naturæ modum; frigidi verò qui hunc non ſuperant, aùt etiàm infrà ſtant. Retineri poteſt hæc diviſio generaliſſima quià ſub ſe complectitur omnes tumorum ſpecies, nihilque abſurdi involvit, cum caloris & frigoris qualitates reſpectivæ ſint, non verò abſolutæ.

3°. Tumores calidos, sìc vulgò dictos omnes comprehendit vox in hisce universalissima inflammatio, quæ dùm occupat partes externas in sensus incurrentes manifestatur dolore, calore, rubore, tensione partis cui dicitur ideò insidere inflammatio.

4°. Quandoquè tumor inflammatorius circumscriptus est, prominetquè multùm, stans toto sui decursu intrà primos limites conspicuos; quandoquè verò diffusus est, minùs prominens, & à primâ quam occupabat sede derelictâ, grassans in vicinas partes, quandoquè quasì sensû ustorio stipatur, quandoquè tantùm excessu caloris non mordacis notatur. Qui tumor inflammatorius circumscribitur, caletquè non mordacitèr, detinetur intrà primos limites, phlegmone speciatìm audit. Erysipelatis autèm nomen imperitum est tumori inflammatorio diffuso, calenti, cùm sensu ustionis, serpenti à parte in partem, cujus rubor dilutior sùb premente digito evanescit, mòx eo ablato citissimè reversurus. In erysipelatis superficie haùd rarò vesiculæ exiguissimæ seroso latice turgidulæ plusminùsve confertæ apparent.

5°. Attenta observatio docet hoc ordine nasci hæc symptomata quæ suo concursu

inflammationem externam conftituunt. 1°. Dolor plus minufvè acutus, deindè calor, tenfio, rubor, tumor. Quandò hæc fyptomata levia funt hunc gradum inflammationis ponunt quem phlogofim dicunt; quandò notabilia fiunt inflammationem ftrictè dictam faciunt; tandèm quotiefcumquè adeò turget pars inflammata intenfiffimè, ut vafa rupturam minitentur, tertius inflammationis gradus conftituitur, qui inflammatio fiftrophica audit.

6°. Docuit obfervatio tumores calidos feù inflammatorios quadrifariàm potiffimùm terminari poffe; nempè refolutione, fuppuratione, induratione & gangrænâ; quibus inflammationum exitibus adduntur nèc immeritò delitefcentia, & defquammatio. Verum eft tamèn delitefcentiam tanquàm refolutionis fpeciem habendam effe, utì dicetur infrà dùm de refolutione erit quæftio.

7°. Dicitur refolvi tumor inflammatorius quandò fymptomata omnia inflammatoria, nequidèm excepto tumore, fensìm evanefcunt, parte priùs inflammatâ in priftinum fanitatis ftatum perfectè redintegratâ. Suppurationem hunc effe exitum quo ceffat inflammatio pronuntiant om-

nes si acciderit ùt symptomata omnia strictè inflammatoria dicenda uti sunt dolor, calor, tensio, rubor ex toto evanuerint, superstite in ipsissimâ sede inflammationis mòx vigentis tumore molli, albicante, in quo tactus fluctuationem quamdam persentit, qui tumor propriè dicitur abscessus, qui quidèm dùm spontè vèl arte aperitur effundit liquamen album plùs minusvè subtenax, inodorum, quod puris nomine genuino salutatur. Si contigerit evanescentibus inflammatoriis symptomatibus strictè dictis superesse nihilhominùs tumorem durum, indolentem schirrum appellatum, tumor inflammatorius induratione solutus habetur. Dùm autèm evanescentia symptomata inflammatoria locum faciunt mollitiei partis priùs inflammatæ, sensûs in eadem parte hebetudini, imò abolitioni, ejusdem partis coloris mutationi ìn atrolivescentem plus minusvè, inprimisquè dùm hæc ipsissima pars odorem sub putridum, quasì cadaverosum spirat, dùm, inquam, hæc omnia fiunt, gangrænam funestissimum inflammationis exitum præsto esse apùd omnes ratum est.

8°. Delitescentia tumoris inflammatorii fit quandò subitò aut ferè subitò omnia symptomata inflammatoria nullo excepto

difparent, parte ad priſtinam ſalubritatis conditionem revocatâ; tandèm deſquammatione terminari inflammationem aïunt, quandò recedit à parte omnis inflammationis nota & intereà ſquammulæ quasì furfuraceæ ex ſuperficie partis inflammatione mòx tentatæ plus minuſvè confertìm deciduæ obſervantur.

9°. Theoria inflammationis tanquàm hactenùs minùs nota & tanquàm dubia ſpectari debet; namquè cùm calor excedens modum naturalem præcipuum ſit inflammationis ſymptoma, undè inflammationis nomen datum eſt, evidens eſt nihìl certi ſtatui poſſe circà inflammationis cauſam quìn priùs ipſiſſima caloris naturalis animalium cauſa undiquè & certò perſpecta ſit: porrò meditanti ſeverè varias opiniones circà cauſam caloris animalium huc uſquè prolatas evidentiſſimè pateſcet has omnes hypotheticas eſſe pluresque falſitatis evinci poſſe, quæ diſquiſitio cùm pertineat ad phiſiologos hìc indicatur tantùm, nòn inſtituitur. Undè ſequetur theoriam inflammationis illam tantùm proponi poſſe, quæ minùs inveriſſimilis ſit, & âb obſervatione diffidens, hypotheſis loco nòn Theſis defendam.

10°. Diù receptum eſt apud Medicos

principium ad partem quamvis accersens symptomata inflammatoria , sanguinem extravasatum & stagnantem in intercapedinibus venulas intèr & arterias minimas juxtà veterum doctrinam reperiundis ; quià nempè sanguis sìc extravasatus & stagnans motum putrefactorium inire deberet ex quo caloris intensitas & reliqua inflammationis symptomata sequerentur.

11°. Idem principium inflammationis admisit *Sthallius* , à veteribus tamèn diversus in eo quod calorem non putrefactorio motui tribuat, sed actioni principii vitalis excitanti , dirigentique motus vividiores oscillantium vasorum circà partem in quâ stagnat sanguis , hunc in finem ut præcaveatur putrefactio fluidi hujus extravasati , ejusdemque concreti resolutio in minimas particulas fluori iterùm aptandas promoveatur. Ex hoc majori impetu quo vasa circà partem inflammandam oscillantia aguntur à fluidis intrà ea specialiùs & vividiùs determinatis , & reagunt in hæc ipsa fluida , ex mechanicis principiis explicatione deducta repetit caloris excessum quem præ se fert pars inflammata.

12°. Sentiunt idem ferè ac veteres, *Sthalliusque* , neoterici plerique quoad principium inflammationem determinans :

nempè hoc ſtatuunt eſſe ſanguinem vel ſtagnantem omninò in minimis vaſis arterioſis ſanguineis, vèl ſaltèm pèr ea difficiliùs meantem. A veteribus, *Sthallioque* in hoc differunt quod iſti extravaſatum eſſe ſanguinem ponant qui ſtagnat inter arteriolas minimas venulaſque, illi verò eamdem ſtagnationem aut difficiliorem meabilitatem collocent intrà vaſa ipſiſſima minima arterioſa. Differt etiàm Neotericorum plerorumque opinio à veterum placitis, in eo quod cum *Sthallio* negent exceſſum caloris in inflammatione obſervandum à putrefactorio motu repetendum eſſe, conſentiuntque cum *Sthallio* ſub hoc reſpectu quod actioni & reactioni majori vaſorum pulſantium circà partem in quâ ſtagnat aut difficiliùs meat ſanguis, tribuant exceſſum caloris qui parit inflammationem; à *Sthallio* tamèn diverſi ſunt in quantum majores haſce actiones & reactiones vaſorum nudâ ſtagnatione aut difficiliore meatu ſanguinis intrà ſua vaſa minima determinari aïunt quas *Sthallius* à ſpecialiori intentione & & contentione principii quod admittit vitalis in fines utiles ſuprà propoſitos agentis omninò repetit.

13°. Variæ illæ opiniones graviſſimis premi poſſut difficultatibus. Enìm verò

quod ad veterum opinionem attinet vix ac ne vix quidèm ullo experimento aut Analogiâ defendi poteſt à putredinoſo motu qualis excitatur in fluidis animalibus ſecundum antiquorum hypotheſim hunc gigni caloris gradum qui obſervatur in ſtatu naturali multo minùs hunc qui notatur in inflammatione. Præthereà gratìs ſupponunt ſanguinem in intercapedinibus arteriolarum , venularumque ſtagnantem intrà parvum ſpatium coërcitum aëris immediatæ actioni nullomodè expoſitum ità promptè & vividè putrefactorii motus efficaciam experiri , dùm conſtat obſervatis non ſolùm cruorem effuſum , anguſtioribuſque limitibus comprehenſum , ut in echimoſibus levioribus , ſed & etiàm magnâ copiâ collectum intrà cavitates , v. g. uteri & vaginæ diù perſtare immunem ab omnis putredinis labe. *Sthallii* neotericorumque ſententia uno eodemque quaſi ictu corriut hypotheſibus meris accenſenda ; nempè ſupponitur demonſtratum cauſam caloris animalis peti debere ex actione mechanicâ, reciprocâquè fluidorum & ſolidorum in ſeſe invicèm , quod nedum pro demonſtrato haberi queat , imò tùm à priori , tùm à poſteriori deductis rationum momentis falſum eſſe evincitur. Recentiorum opinio hoc iterùm

iterùm vitio premitur, ùt nitidissimè demonstravit Clarissimus *D. D. de Sauvages* quod posito simpliciter stagnante sanguine in minimis vasis aùt per ea difficiliùs fluente impetum sanguinis circà hæc vasa adaugendum arbitrari videantur, obliti crescentibus resistentiis fluidorum quibus opponuntur illæ resistentiæ velocitates minui debere, nòn intendi.

14°. Celeberr. *Gorterus* optimè sensit hanc stagnationem sanguinis, aùt minùs expeditum fluentum per minima vasa non satìs esse ad determinanda symptomata inflammationis, maximè quià intèr vasa hæc minima adeo sunt innumeræ anastomoses seù communicationes, ùt si contigerit quædam ex illis obstrui, pronum sit existimare alia longè plura quæ vices obstructorum supplere possint absquè ullo sensibili vitio in humorum translatione indè nato, undè prætèr sanguinis stasim perfectam aùt imperfectam, ut determinetur inflammatio supponit necessum esse sanguinem hunc stagnantem plus minusvè aliquâ acrimoniâ pollere, quâ stimulante nervosa stamina accersatur versus locum obstructum velocior sanguinis appulsus, & ex eo pendentia quæcumque symptomata inflammationis; verùm licèt *Gorterus* à neotericis

ritè diſſentiat ſub mox allato reſpectu, intereà cum illis & quidèm nullo jure tribuit caloris exceſſum intenſioribus factis ſolidorum & fluidorum in ſe invicem actionibus reciprocis.

Præthereà ſi res attentè perpendatur brevì perſpectum erit ſine ratione ſufficienti ex hypotheſi tantùm præconceptâ ſupponi principium inflammationis intrà vaſa minima neceſſario hærere; cum obſervatio quotidiana demonſtret âb irritantibus & dolorificis corporibus admòtis aut infixis cuilibet parti corporis humani non certè intrà vaſa hærentibus ſymptomata quæcumque inflammatoria hanc circà partem ab extrinſeco ſtimulo percitam & vividè & citiſſimè pronaſci.

15°. Ex hâc ultimâ annotatione ſimulquè perſpecto ordine quo diximus exoriri ſymptomata inflammationis, pateſcit principium inflammatorium eſſe quodcumque acre ſtimulans Phyſicè, vèl mechanicè, uno verbo dolorificum parti cuicumque corporis infixum, inhærenſque, ſivè illud intrà vaſa deliteſcat, ſivè extrà hæc locatum ſit. Hoc poſito principio hujus connexio cum ſymptomatis inflammatoriis conſequentèr horumce explicatio ſatìs facilè deducitur analogicè, juxtà leges naturæ

pèr obſervationem demonſtratas. Enim verò dolor ad partem relatus, hujus auctam ſenſibilitatem ponit, quod obſervando verum eſſe perpetuo diſcimus. Porrò ſenſibilitas in parte aucta concipi nequit, quìn principium hujus ſenſibilitatis, certò pèr nervos ad partes humani corporis tranſlatum circà eam partem ſenſibiliorem factam confertiùs colligatur & quasì denſetur. Ponamus autèm hoc principium ſenſibilitatis quid igneum eſſe & proindè cauſam caloris animalium (quod quidèm ſummè ſaltèm probabile eſſe evincitur in Phyſiclogicis) ubì confertiùs denſatur illud, ibì majorem caloris gradum adeſſe neceſſum erit, undè jàm patet quâ neceſſitate dolorem calor excipiat quasì è veſtigio: calore ſuborto majori rarefieri tùm ſolidos partium textus, tùm ipſummet ſanguinem, reliquoſque humores ſuis vaſis contentos evidens eſt, indè creſcit partis inflammatæ volumen, fit tumor, tenſio, rigiditas vaſorum augetur, colore rubicundo pars inſignior deprehenditur. Sìc colligantur tùm intèr ſe, tùm cum principio inflammatorio ſuprà dicto omnia ſymptomata quibus inflammatio præſens cognoſcitur. Hæc theoria nobis licèt præ reliquis arrideat, intereâ tamèn tanquàm hypotheſis habenda eſt,

quià ſupponit principium ſenſibilitatis igneum, quod ut ut probabile reddi poſſit, interìm minùs demonſtratum cenſeri debet; de cæterò mirè quadrat cum illis quæ docet attenta & quotidiana obſervatio circà inflammationis hiſtoriam inſtituta.

Nequè diffitendum eſt aliâ difficultate, & primo quidèm intuitu graviſſimâ premi theoriam mòx propoſitam, nempè hujus aſſeclæ deffendunt calore majori ſenſibiliter rarefieri partes tùm ſolidas, tùm inprimìs fluidas humani corporis, contrà quam aſſertionem videntur pugnare millena experimenta quibus conſtat à calore multis vicibus majori quam ille eſt qui notatur in inflammatione, vèl maximâ, vix ac ne vix quidèm ſenſibilitèr expandi ſanguinem; unica reſponſio huic dari poteſt objectioni, nequè certè improbabilis aùt fictitia. Perperàm concluditur ex iis quæ accidunt ſanguini extravaſato, cruoris nomine potiùs quam ſanguinis inſigniendo, qui cruor dici poſſet haùd immeritò cadaver ſanguinis, ad ea quæ accidere debent ſanguini vi vitæ imprægnato intrà vaſa viventis animalis circuitum ſuum obeunti. Quæ tali ſanguini mutationes à calore debent contingere ex ſola obſervatione caloris huic admoti, vere dicere poſſu-

mus ; porrò quis negaverit ab admoto caloris gradu majori cuilibet parti corporis animalium viventium in hâc protinùs nafci hæc phænomena quæ evidenter arguant rarefactionem, tùm folidi textûs, tùm fluidorum qui tràns vafa hujus partis decurrunt. In animum revocetur effectus balnei calidi, & quantùm ex eo perfpecto firmitatis accedat refponfioni traditæ luculentèr patefcet.

16°. Qui theoriæ vulgatiùs receptæ apud neotericos adftipulantur pofito principio inflammatorio intrà vafa fanguifera minima utì fuprà dictum eft fuccedentia inflammationis phænomena juxtà fuam hypothefim facilè fatìs deducunt. Namquè, aïunt, pofito fanguinis difficili tranfitu pèr arterias minimas fanguiferas, à fortiori fi illæ penitùs obftructæ fupponantur, neceffum erit fanguinem ad vafa impedita aùt obturata viribus trufivis cordis continuò appellentem hìc faltèm partìm fubfiftere, undè collectio fanguinis in datâ parte cujus canales fanguiferi infertiuntur ; nequit autèm hæc collectio concipi quìn illicò fequatur idea tumoris, tenfionis, rubedinifque ; calorem autèm aliud & præcipuum inflammationis fymptoma repetunt ex adaucto

impetu fluidorum utì superiùs diximus, tùm ex motu ipsissimo intestino vegetiori facto. Contendunt insupèr ruborem partis inflammatæ adscribi posse non solùm collectæ majori copiæ sanguinis rubri, propter rationes memoratas, sed etiàm hujus fluidi deviationi intrà vasa lymphatica, quæ juxtà naturæ leges liquorem pellucescentem, aùt sub pellucescentem tantùm vehere debent. Hujus explicationis fundamenta jàm evertimus, non tamèn negantes hanc sanguinis in vasa lymphatica deviationem locum habere posse cum analogia & ipsissima dissectio partium inflammatarum, imò inflammatio uveæ rubore tunc perfusæ, quæ tamèn vasis lymphaticis solummodò donatur demonstrante Clarissimo *Ferrein*, illam deviationem nonmodò locum habere posse, sed habere defactò commonstrent.

Hoc prætereà animadvertemus quod juxta principia neotericorum ad inflammationem explicandam adhibita difficillimum sit, quìn & impossibile intellectu, quâ ratione fiat ut in quibusdam inflammationibus, etiàm maximè notabilibus, licèt omnia circà partem inflammatam vasà videantur impetuosiùs agentia quàm fert consuetus naturæ ordo, intereà ne mi-

nima quidèm nota subsit mutatæ in reliquo corporis ambitu propulsorum à corde humorum velocitatis.

17° Ex suprà dictis abundè liquet id quod jàm monuimus, nempè theoriam, sic vulgò dictam, seù retectionem tùm principii inflammatorii, tùm hujus cum phœnomenis inflammationis connexionem millenis disputationibus obnoxiam esse, proindèque dubiam, ità ut cogamur fateri nullam methodum curatoriam inflammationis huic theoriæ qualiscumque demùm sit superstruendam esse à prudenti Medico, sed omnes therapeuticas indicationes ex morbi hujus historiâ fidâ petendas esse, collatâ cum iis quæ docet observatio effectuum qui præstantur à medicaminibus variis prò morbi conditione diversâ adhiberi solitis.

18°. Utilitèr dividi potest inflammatio in essentialem, & symptomaticam, in criticam salutarem, vèl non, periodicam, vèl non; inflammatio essentialis cognoscitur quandò primariò independentèr ab ullo morbo alio prægresso aùt coexistente à causâ externâ, evidentèr ortum suum ducit. Symptomatica verò est si haberi jure possit pro effectu, seù symptomate alterius morbi coexistentis, quod

quidèm ità erit ſi morbus, v. g. febris, inflammationis ortum præceſſerit, ſi febre creſcente intendantur ſymptomata inflammatoria, & vice verſa ; ſi non à causâ evidenti externâ producta fuerit, virûs multigeni præſentia, ſcorbutici, ſcrophuloſi, venerei ſignis ſuis cognita inflammationem ſuccedaneam habuerit. Critica ſalutaris agnoſcetur inflammatio quædùm apparet, morbum antecedentem ſolvit, aùt ejus intenſitâtem & periculum minuit, sìc tumores inflammatorii circà aures exorti, & ideò dicti parotides in decurſu febrium malignarum haùd ità raro conſpicui, ſæpè harum-ce febrium funeſtos effectus retundunt & prævertunt ; quod ſi tumoribus hujuſmodi inflammatoriis apparentibus in morborum decurſu, horum ſymptomata graviora fiant, nedùm mitiora, & præceſſerit in animali œconomiâ hæc turbatio quæ ſignat molimina critica, illi critici non ſalutares quìn & lethales quandòque habebuntur. Notiſſimum eſt inflammationes quandoquè variis in corporis partibus etiàm ſinè causâ manifeſtâ per periodos recurrere, quibus erumpentibus nihilominùs ſani perſtant quoàd præcipuas functiones qui has inflammationes experiuntur, qui malè ſeſe

habent

habent econtrà, si non erumpant inflammatoria hæc symptomata datis temporibus, vèl si erumpentia minùs cautâ methodo citiùs persanentur. Nemo est ideò qui non censerit quantæ utilitatis, imò necessitatis sit apprimè attendisse ad hujusmodi inflammationes periodicas ut vitentur errores in praxi ægris damnosissimi. Ex dictis etiàm patebit quandonàm inflammationes scorbuticæ, venereæ, scrophulosæ dicendæ sint omnes symptomaticæ, & quantoperè pretium sit illas tùm a se invicèm, tùm à reliquis non symptomaticis accuratè distinxisse; harum-ce nempè persanatio nulla potest obtineri quìn varia principia variis & appositis remediis sagaci curâ impugnentur, & debellentur. Hinc eruuntur præcipua diagnoseos utilis fundamenta in morbis inflammatoriis externis.

Jam suprà indicavimus quasdam inflammationes esse à febre immunes, undè pronum est concludere, quod docet observatio, plerasque potissimùm graves febrem sibi comitem habere, summoperè etiàm necessarium est cujusnam sit prosapiæ hæc febris inflammationis comes. Signa inflammationis symptomaticæ mòx tradita, satìs docebunt àn febris unà cum inflammatione vigens ab inflamma-

tione pendeat ? Aut vice verſa ? Utrùm inflammatio ſit principium, aùt ſymptoma hujus febris ? Quæ quidèm cognitio multùm juvat, tùm ad certiorem prognoſim, tùm maximè ad prudentiùs ineundam viam quæ ducat ad feliciorem morbi ſanationem.

19°. Inflammatio levis, dicta vulgò phlogoſis, quæ æſtimanda venit ex doloris & caloris gradu diverſo, potiùs quam ex intenſitate variâ tumoris & ruboris partium inflammatarum, imprimis ſi fuerit eſſentialis à causâ externâ producta in corpore aliundè ritè conſtituto vix à ne vix quidèm ullum periculum portendit; ſub iiſdem circumſtantiis inflammationis propriè dictæ periculum paulò gravius eſſe ſolet quàm phlogoſis, tandèm ſub allato reſpectu magìs timendus eſt exitus inflammationis ſiſtrophicæ quam vel phlogoſeos, aùt inflammationis propriè dictæ. Inflammationis ſymptomaticæ prognoſis ſub pari intenſitate ſymptomatum inflammatoriorum omninò petenda eſt ex perſpecto genio, gradu que morbi cujus ſymptoma eſt inflammatio. Gravior eſt inflammatio quæ febrem ſibi adjunctam habet quam quæ ſinè febre manifeſtatur, & ſua percurrit tempora, tantò que gravior, ſi febris hanc concomitans non ſit effectus

inflammationis. Inflammationis criticæ bonæ vèl malæ ratio perſpecta habebitur ex animadversâ morbi conditione, proùt ille dùm ſeſe prodit tumor inflammatorius, vèl in melius, vel in deterius abit, eodem fundamento nitetur judicium ferendum de exitu harumce inflammationum quæ periodicè recurrunt tipo regulari, vèl nòn. Deniquè graviſſima eſt & periculi plena inflammatio quæ dùm vix ingruunt inflammatoria verè ſymptomata, gangrænæ notas evidentes præ ſe fert ſaltèm in quibuſdam tumoris inflammatorii punctis.

Maximè ſalutaris exitus inflammationis, reſolutio eſt : excipiantur tantùm caſus inflammationis criticæ, aut hujus quæ effectus eſt luis venereæ, circà quam ultimam notabimus hanc etiàm felicitèr reſolvi, & ſinè ullo ſubſequenti incommodo, modò illam induxerit hydrargiroſis, aùt è veſtigio exceperit; tumores inflammatorios qui reſolvi nequeunt optimum eſt terminari ſuppuratione; tertio loco venit expetenda induratio; sèd funeſtiſſimus eventus omni ope atquè operâ ideò vitandus, gangræna eſt, in nullâ circumſtantiâ non valdè reformidanda.

Reſolutio, uti ex ſuprà dictis concludere eſt, audit gradaria ſymptomatum omnium

inflammatoriorum, nequidem excepto tumore evanescentia, parte priùs inflammatâ ad pristinam sanitatis conditionem perfectè reductâ. Resolutio distingui potest & debet à repercussione, quo posteriori nomine designatur subita aùt ferè subita cessatio omnium inflammationis symptomatum cum aliis conditionibus ad resolutionem mòx requiri dictis. Ex allatâ resolutionis definitione patet ejus historia quatenus observatione disci potest. Namquè remissio gradaria symptomatum inflammatoriorum signum est potissimùm quo sese sistit observatori resolutio fiens in tumore inflammatorio, huic adjungi solet pruritûs levis sensus, madore que ut plurimum pars perfunditur.

Jam notavimus resolutionem esse hunc exitum qui maximè exoptari debeat, si quidem casus etiàm suprà indicati excipiantur.

12°. Quomodò fiat resolutio tumoris inflammatorii sic & quidèm satìs facilè & expeditè suis insistendo principiis explicant omnes fermè neoterici. Supponunt enìm in hâc circumstantiâ progressivum sanguinis motum intrà vasa minima priùs obstructa aùt quocunque modo impedita liberiorem fieri, tùm quià sanguinis spissi-

tudo corrigitur, & priſtinam fluxilitatem hoc fluidum recuperat, tùm quià ipſamet vaſa priùs conſtricta ſpaſmodicè jàm laxantur, viam facilem pandunt progreſſuris humoribus; quæ dùm contingunt, neceſſum eſt gradariè minui principium ipſummet inflammatorium, hoc eſt, juxtà ipſos impeditum prorsùs aùt ſaltèm difficilem meatum ſanguinis per arterioſa capillamenta. Porrò evidens eſt eodem paſſu quò minuitur vis principii inflammatorii, debere miteſcere ſymptomata inflammatoria, quo uſquè integrè ceſſent, parte inflammatà ad ſanam conditionem omninò revocatâ. Levis pruritûs ſenſus adſcribitur fibrillarum nervearum vaſorum priùs tumentium parietibus intertextarum, dùm ſeſe reſtituunt imminutâ aùt ſublatâ causâ tumefaciente, motu vibratorio quasì tremulo agitatarum. Mador autèm quo diximus perfundi partem in quâ fit reſolutio indè petitur quia fit ubiquè per vaſa etiàm excretoria cutanea liberior humorum quorumcunque progreſſio.

Adversùs hanc explicationem nihil nobis videtur opponi poſſe niſi quod jàm ſæpè diximus hypotheſim admodùm dubiam, imò in pleriſque falſam prò fundamento habeat.

Juxtà hæc quæ ſtatuimus de inflammationis theoriâ, quid opus eſt fieri in parte inflammatâ ut reſolutioni locus ſit, vèl leviſſimè attendenti pateſcit; id enìm tantùm requiritur ut vis principii inflammatorii ſtimulans & dolorifica retundatur aùt ipſo ſublato principio tollatur: porrò alterutrum ex iis aùt utrumque accidere poſſe facilè intelligitur tùm motu vibratorio partium ſaltèm earum quæ immediatè circumponuntur ſedi cui hæret principium inflammatorium adaucto circà locum inflammatum, tùm calore majori in parte cui inflammatio inſidet excitato rerafaciente, attenuante, fluxilitatem ideò reſtituente fluidis, ſi fortè ſpiſſiora ſimùl & acria vaſorum parietibus quaſi infixa ſymptomatis inflammatoriis locum dederint. Jam verò retusâ principii morbifici vi dolorificâ, neceſſum erit effectus ejus minui eodem gradu, nempè auctam ſenſibilitatem, calorem, & reliqua inflammationis phœnomena. Quoad ſenſum pruritûs comitem reſolutionis ſequentem, madorem què ſæpiùs obſervatum ubì tumor inflammatorius reſolvitur, nihìl videtur obſtare quominùs hæc placeat horumce phænomenorum explicatio, qualis à neotericis tradi ſolet, quæque mòx fuit expoſita.

Repercuſſionis theoria ex dictis non difficili negotio percipietur. Eædem enìm cauſæ quæ pedetentìm efficaciam ſuam exerendo reſolutionem promovent, celeriùs & quaſi ſubitò agentes repercuſſionem facient.

21°. Reſolutio juvari poteſt, imò & determinari artis auxiliis, tùm èx diætâ, tùm ex Chirurgiâ, tùm ex Pharmaciâ deductis.

Ubi inflammatio eſſentialis eſt, à cauſis externis pendens, nullâ febre ſtipata, viget appetitus, cæteræquè functiones ritè ſe ſe habent, diæta quoad cibum mediocris eſto, quæ tantùm offas, panatellas, cremores ex orizâ, hordeo, ova ſorbilia, & alia id genus alimenta concedat, ſolidioribus eſculentis prudentèr interdictis, metu digeſtionis minùs felicitèr peragendæ in corpore, quod alicubi dolore vexatur & moleſtatur. Potus ſit aquoſus, vèl ſimplex, vèl alteratus incoctis aqua, orisâ, hordeo ad crepaturam uſquè, vèl infuſis thei formiter floribus violarum, malvæ, aùt foliis capillorum veneris; quies tùm animi, tùm corporis inperanda eſt, & domi continendus eſt æger, vitando quantùm licet exceſſus frigoris aùt caloris; alvus emolliatur clyſmatis ſi rarior & durior fuerit.

Si pars inflammata quasi ardeat & de sensu ustionis queratur æger, aquâ pulli vel solâ, vel nitro purissimo imprægnatâ, ptisannæ èx hordeo, orizâ anteponentur reliquis potulentis.

Si verò inflammatio fuerit symptomatica, febris pùtridæ progenies, aùt licèt essentialis fuerit si febrem propriis viribus invexerit; tùnc diæta tenuis præscribatur opus est, quæ juscula tantùm admittet quartâ quâlibet horâ propinanda, utilitèr alteranda incoctis cichoreo hortensi, lactuca, portulacâ, aut similibus; vèl etiàm cremores leviores ex hordeo, orizâ, pari ac juscula temporis intervallo ægris exhibendi; ubi sitis urget & calor æstuans, procùl dubio jusculi anteferendi.

Circà potum in inflammationibus mòx dictis adhibendum, serventur eædem leges quæ jamjàm traditæ sunt, ubi de inflammatione essentiali quæstio erat.

22°. Inter auxilia Chirurgica quæ commendari possunt adversùs inflammationes, maximè celebratur sanguinis missio, quæ tanquàm reliquis omnibus palmam præripiens remedium venditari solet, ita ùt si pluribus fides sit clinicis in nullâ inflammatione prudentèr omitti possit. Hoc autèm selectu venas secant in morbis in-

flammatoriis

flammatoriis tùm internis, tùm externis dequibus potissimum agimus, ut quotiescunquè partes inflammatæ suas mutuantur arterias ex aortâ ascendenti, præmissâ unâ ad summùm aùt alterâ missione sanguinis è brachio, protinùs ad saphænæ apertionem properant, & vice versâ, quandò pars inflammata sanguine irroratur qui fluit per ramos aortæ descendentis venas in brachio secari jubent. Hoc remedii genere & promoveri resolutionem & imprimìs arceri suppurationem existimant. Verùm ut quod res esse nobis videtur, alienâ observatione edocti candidè proferamus, sæpissimè licèt plures & quidèm copiosæ sanguinis missiones institutæ fuerint non obtinetur resolutio, nequè avertitur suppuratio, imò haùd ità raro accidit incautè repetitis illis sanguinis missionibus, ægri vires vitales debilitari, suppurationes illaudabiles fieri, gangrænamque funestissimum exitum subrepere; undè quamvìs in eâ simus opinione sanguinis missionem prorsùs & ex toto omitti non debere prouti quibusdam placet vitium in contrarium currentibus, tamèn illam cautè, nèc promiscuè in omni casu inflammationis saltèm externæ, de quo hìc agitur, præscribendam esse cen-

ſemus. Sic remedium utile nòn omittentes ubì opus eſt, hoc non præſtabimus quod pleriſque in circumſtantiis inutile ſit, imò quod pejus eſt aliquandò noxium. Itaquè ubi inflammatio circumſcribitur parti affectæ, ubì eſſentialis eſt, pulſus rythmum naturalem non perturbat, reliquæ functiones benè ſeſe habent, tùnc à ſanguinis miſſione prorsùs abſtinendum eſt. Sìn verò ſymptomatica fuerit inflammatio, notabiliter lædantur functiones, febris adſit, cum pulſu duro, validoque, dolor inflammatorius admodùm acutus ſit, tùnc ſanguinis miſſio utilis erit, imò neceſſaria ad feliciorem morbi curationem, plus minùſve repetenda, parciùs aùt copioſiùs, proùt ſymptomata memorata indicaverint; non tamèn neglectâ conſideratione aliarum circumſtantiarum quæ ſanguinis miſſionem vetare poſſunt aùt imperare, aùt ſolum modò permittere, dequibus agere locus eſt ubì queſtio eſt de ſanguinis miſſione generice ſpectatâ.

Quoad verò ſelectum venarum incidendarum nihìl impedit quominùs ſequamur morem apud clinicos receptiſſimum & ſuprà indicatum, quamvìs ille nèc obſervatione ſatis firmatus ſit nèc innitatur niſi rationum momentis quæ nulla ſunt, aùt prorsùs falſa.

Si inflammatio essentialis febrem vèl rectiùs febrilem pulsum induxerit, præcedente aliquo horrore ut plurimùm febris hæc signum est naturam moliri suppurationis negotium monente antiquissimâ observatione: undè sub hâc circumstantiâ nisi dolor atrox fuerit, pulsusque durus perstiterit, inutilitèr ad minimum vena secaretur, imò sæpè incæptum suppurationis opus averteretur, & hujus infaustissimus eventus gangræna.

Antequam finem imponamus dicendis de sanguinis missione in inflammationibus præscribenda vèl omittenda, operæ pretium est ut non nulla moneamus de hâc regulâ quam non nulli statuunt circà illud argumentum; nempè quòd tandiù mitti possit sanguis quandiù in ejus intrà vasa excepti & refrigerati superficie, apparet crusta plus minusvè flavescens, firma, densaque, quam vocant inflammatoriam quià solet observari in morbis inflammatoriis, debeat verò omitti sanguinis missio simul atque nulla hujus crustæ nota apparet in superficie missi sanguinis.

Hæc regula desumpta ex phænomeno mòx indicato si sola spectetur, præscindendo à statu virium vitalium, morbi symptomatum intensitatis, in damnosissi-

mos errores Medicum conjiciet ; si verò non sola consideretur sed etiàm opus sit habere rationem aliarum circumstantiarum ex quibus mittendi sanguinis indicationes sumi debent, tùnc ad minimum inutilis est, quià aliæ hæ circumstantiæ ex artis legibus pensitatæ sufficiunt ad hoc ut medicus determinare queat utrum sanguis mittendus sit nec nè.

Porrò consideratio hujus crustæ tanto minùs utilitatis foret sub hoc respectu vacuandi sanguinis, quod illa crusta miras varietates observanti exhibeat etiàm in morbis acutissimè & evidentissimè inflammatoriis, uti v. g. in pleuritide : nàm quandoquè nequidèm vestigium hujus crustæ in morbi principio apparet, nèc in toto ejus decursu. Quandoquè dùm sanguis pluribus patellis unâ eâdemque aperturâ venæ missus excipitur crusta in unâ patellâ, non in alterâ conspicua est; jamdudùm notavit *Sydenhamius* hujus crustæ efformationem maximè pendere à modo vario quo flueret sanguis ex aperto vase, itaut hæc manifestaretur sanguine impetuosiùs fluente, maximè si excipiatur vase profundo & angusto, nulla verò esset sub eâdem morbi circumstantiâ sanguine lentiùs per brachium decurrente & quasi

ſtillante in vas ſuppoſitum, maximè ſi illud fuerit latius & planius.

Præterea non ſatis videtur quomodò ſanguinis miſſionem indicare poſſit hoc phænomenum, quod docet obſervatio, ſæpiùs apparere in pluribus aliis morbis qui ſanguinis miſſionem vìx admittunt ad ſui curationem, uti in ſcorbuticis confirmatis, in chloroſi, cachexiâ, tùm etiàm quandoquè locum habet vel in ſaniſſimis hominibus. Ex dictis ergò concludere liceat nullas alias leges ſervandas eſſe circà miſſionem ſanguinis in morbis inflammatoriis prætèr eas quæ ſuperiùs ſtabilitæ ſunt: nulla prorsùs ratione habitâ cruſtæ inflammatoriæ ſaltèm ſub hoc reſpectu ſanguinis miſſionem præſcribendi aùt omittendi.

23°. In curatione morborum inflammatoriorum ſuam quoquè ſymbolum affert pharmacia medicamentis tùm internis, quam externis. Interna medicamenta diverſi ſunt generis, prout inflammatorii tumoris circumſtantiæ diverſæ ſunt; ſi quidèm ubi inflammatio videtur eſſe ſymptoma febris putridæ quacum notiſſimum eſt vèl ab initio ferè ſempèr conjungi ſigna ſuccorum pravorum in primis viis jàm contentorum, aùt in illas corrivantium, tùnc locus eſt catharticis & eme-

ticis, proùt inteſtina aùt ventriculus morbifici principii ſedes eſſe videntur, ubì ſitis urget, calor ardet in toto corpore, præcipuè in tumore inflammatorio, præſtant tamaryndorum, caſſiæ pulpæ, mannæ ſociata; vitanda ſunt cautè cathartica tonica, ſtimulantia, calefacientia; ſin verò abſunt ardoris ſigna, tùnc etiàm mediocria cathartica (cæteris aliundè permittentibus circumſtantiis) in uſum cedent, qualia ſunt imprimìs folia & folliculi ſennæ jàm memoratis addita. Emetica ſi indicentur optima erunt ſtibiata, uti tartarum emeticum, ſyrupus Glauberii; ubì notare operæ pretium eſt, quod fida & conſtans docet obſervatio, nempè in illis inflammationibus externis quæ tument plurimùm, licet minus circumſcriptæ, ardent, ſerpendo à parte in partem, dictæ vulgò eryſipelatoſæ, maximè ſi faciem occupent, ſpontaneæ, quandoquidèm abeſſent ſigna quibus indicari ſolet emeſis, modò nulla ſubſit contra indicatio urgens fauſtiſſimos eventus ſperandos venire ex emetico propinato, imò & repetito ſub morbi initio.

Quotiès verò inflammatio externa eſſentialis eſt, febrem nullam adjunctam habet, nullaque indicia præſe fert ſabur-

ræ , ut aiunt , latitantis in primis viis, tùnc ad minimum inutilia censeri debent medicamenta emetica aùt cathartica ; si pigrior fuerit alvus , satis erit illam stimulasse injectis clysmatibus ex emollientibus paratis.

Cætera quæ præstat pharmacia desumuntur ex demulcentibus , refrigerantibus , antiphlogisticis , nitrosis , potissimum levitèr incidentibus , quæ variâ formulâ præscribi possunt ptisannæ , jusculi , apozematis , emulsionis &c.

Quibus solis medicamentis internis prudentèr adhibitis , sæpè accidit resolutionem optimè succedere.

Nequè tamèn negligenda sunt medicamenta externa topicè parti inflammatæ admovenda , quæ titulo repercutientium & resolventium indigitari solent. Repercutientia dicuntur quæ repercussionem, seù quod idem est , promptam & quasì subitam resolutionem faciunt ; resolventia verò quæ resolutioni sic propriè dictæ favent. Repercutientia duplicis potissimùm generis admitti possunt , alia nempè quæ vi narcoticâ , stupefaciente , sic docente experientiâ , gaudent , uti sunt hyoscyamus , mandragora , solanum , papaveracea & ex illis parata opiata varia medicamina ;

alia verò vi adſtringente, denſante partes ſolidas corporis humani, ſimùlque fluidas inſpiſſante prædita, & quidèm vario energiæ gradu, ſcilicèt plantago, roſæ rubræ, tormentilla, biſtorta, malicorium, alumen &c.

Repercutientia narcotica minuendo ſenſibilitatem in parte cui admoventur, minuunt hujus ſenſibilitatem & conſequentèr omnia Phænomena inflammationis quæ pendent ab hâc ſenſibilitate & quidèm tantò promptiùs & celeriùs, quanto promptior & celerior eſt horum vis, actio minùs certè explicata.

Repercutientia adſtringentia denſando fibras, illas duriores efficiendo, fluida coagulando aùt inſpiſſando, priori effectu ſenſibilitatem minuunt, poſteriori vim acris ſtimulantis dolorifici implicando retundunt, franguntque, quem geminum effectum præſtant exiguo temporis intervallo, undè in iis ab omnibus agnita vis repercutiens ſatìs facilè intelligi poteſt. Similitèr agendo hæc medicamenta defenſivorum nomen merebantur apud pleroſque Medico Chirurgos, quandò nempè hi utebantur illis medicaminibus, non tàm diſcutiendas inflammationes quam ad illas avertendas â partibus diverſimodè

modè vexatis aùt læsis.

Maximo sæpè cum ægrorum detrimento vocari in usum medicamenta repercutientia narcoticâ vi insignia, frequens & attenta commonstravit observatio; undè horum hodiè usus rarissimus, tantum modò locum habens, ubì dolor sævit acerrime, tùncque etiàm magìs internè quam externè, in quo posteriori casu vìx usquiàm sola, sincera adhibentur; sed variis stimulantibus ingenitam vim aliquo modo reprimentibus sociata; sic theriaca, guttæ anodinæ, sub circumstantiâ doloris atrocissimè sævientis alicubi, prudentèr admota, quandoquè nec infrequentèr admodùm profuere. Effectus quos diximus præstari à repercussivis adstringentibus perpendendo satìs monemur eorum usum valdè metuendum esse, quotiescumquè tumor inflammatorius durus est & renitens, vèl dolet nimiùm, quotiescumquè inflammatio cujuscumque demùm ordinis sit, critica est ad salutem ægri aùt symptomatum levamen tendens, periodica, vìxque notatu opus est tantò imprudentiùs & infaustiùs in casibus mox animadversis id applicari medicamentorum genus, quanto ad usum revocata hæc valentiora sunt & efficaciora. Licet autèm

incautam damnemus admotionem horumce adſtringentium, non tamen ii ſumus qui promiſcuè & quaſi ex integro velimus ea exulare è foro medico Chirurgico. Enìm verò non nullis obſervationibus conſtat hæc circumſpectè cautè que adhibita ſummum levamen ægrotantibus attuliſſe. Hos caſus videre eſt, ſicuti formulas medicaminum repercutientum felicitèr admotorum in tractatu de ſuppuratione à *Queſnayo* edito. Seriò perpendenti & animo revolventi quæ paſsìm dicta reperiuntur & obſervationibus firmata circà uſum aùt abuſum repercutientium, patebit ſequentes canones practicos condi poſſe. Repercutientia ſedantia ſeù potiùs narcotica ſincera vix àc fortè ne vix quidèm in ullâ externæ inflammationis circumſtantiâ tutò adhibentur, ſtimulantibus verò prudentèr maritata, ubi dolor acerbiſſimus eſt etiàm externo uſu commendanda veniunt.

Medicamìma repercutientia adſtringentia cane pejus & angue vitentur, quotieſcunquè inflammationes criticæ ſunt, ſpontaneè exortæ, aùt ad indurationem valdè pronæ. Repercutientibus uti licebit imò juvabit quotieſcumque inflammatio levis erit & phlogodæa, à cauſis eviden-

tibus topicis que externis orta, quotiescumquè intumescet œdematosè plus quàm inflammatoriè pars tumore calido vexata, uti contingit haud raò in tumoribus erysipelatosis longè, latè que per extrema corporis diffusis, tunc què illæ anteponantur formulæ quas in similibus circumstantiis jàm profuisse testantur auctores.

Nisi tumor erysipelatosus faciei à causâ externâ evidenti & locali inductus fuerit, cave ab usu repercutientium quorumcunque, hæc enìm non solùm inutilia sunt, sed etiàm ferè sempèr damnosa; ubi autèm affectâ facie locus esse poterit repercutientibus, intèr mitissima seligantur quæ admoveri debeant.

Resolventia quadruplicis ordinis à quibusdam uti à *Quesnayo* admittuntur, nempè stimulantia, relaxantia, emollientia & diaphoretica. Simpliciùs & rectiùs revocari debent ad duos ordines præcipuos, scilicèt ad stimulantia & anodina; his enìm sub ordinibus facilè est & expeditum ea omnia complecti quæ adhibentur à practicis medicamina in scopum promovendæ resolutionis in quâcunque circumstantiâ, cujus quidèm asserti veritas observatione primùm & potissimùm firmatur, deindè satìs elucescit ex propositis de theoriâ

resolutionis : enìm verò resolutionem fieri debere docuimus quotiescunque vis stimulans & dolorifica principii inflammatorii parti cuidam inhærentis retundebatur, aùt ex toto tollebatur. Porrò retundi aùt etiàm ex toto tolli vim illam stimulantem & dolorificam evidens est vel actione vasorum circumpositorum inflammatorio principio adaucta, illud excutiente quasi, vel omninò destruente & dissipante, vèl iis prudentèr admotis quæ sensibilitatem partis minuendo effectum stimuli minuunt, aùt iis quæ acre stimulans irretiendo, quasì implicando, ipsum iners & proindè inefficax efficiunt, nòn expectatâ suppuratione, quâ natura videtur idem moliri. Itaquè his indicationibus artem satis facere posse liquet tantum modò ea adhibendo quæ stimulant, hoc est, intendunt actionem vitæ in parte inflammatâ, vel ea quorum ope sensibilitas directè minuitur, qualia sunt anodina, narcotica vulgò dicta, vèl quæ irritiendo acre qnominùs sensibilitas exerceatur aùt augeatur impediunt qualia sunt anodina emollientia; proindè duplex ordo resolventium nobis admittendus esse videtur; inutilis, obscura, dubiis solum modò innixa ratiociniis, observationi parùm congrua nobis

videtur divisio *Quesnayana*, qualem initio hujus articuli proposuimus.

Resolventibus stimulantibus locus est quotiescumque symptomata verè inflammatoria languent, nec tamèn tumor durus est admodùm, & ad schirri indolem accedens, quotiescunquè ergò metuitur ne gangrænæ symptomata superveniant; vitanda quotiescunquè symptomata inflammatoria urgent in evectiori gradu.

Emollientia verò resolventia tempestive adhibebuntur ubicunquè ingentia inflammationis phœnomena potissimùm conjungentur cum ardoris aliquo sensu; cautè âb iis abstinendum est ubicunquè diximus perutilem essè stimulantùim resolventium applicationem. His remediis tùm internè tùm externè prudentèr adhibitis resolutio promovebitur, optimus & ideò valdè optandus si pauci casus excipiantur inflammationis exitus.

FINIS.

QUÆSTIONIBUS PHYSIOLOGICIS RESPONDERE CONABITUR.



ARGUMENTABUNTUR

R.R. D.D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R.D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHÉS.

ERRATA.

PAG. 8. lin. 12. nullomodè *leg.* nullomodò.
Idem lin. 21. corriut *leg.* corruit.
Pag. 24. lin. 17. juſculi *leg.* juſculis.
Pag. 27. lin. 11. gangræna. *ad.* accerſeretur.
Pag. 28. lin. 11. utilitatis *leg.* utilis.

Alia Errata emendabit Lector benevolus.